



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 25. Anabaptistarum Secta apud Helvetios ab Hubmeyero divulgata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

Sæcul. XVI. probis hominibus subrogatis extermina-
A C. 1524. re , a summo Numine jussus esset : ut
 vero ejus audaciæ optatus adspiraret
 successus , innumeros pene rusticos , ac
 infinitos propemodum sceleratos homi-
 nes ad suas partes pertraxit , atque ex
 illis exercitum conflavit , qui totam Ger-
 maniam terrore complevit , eamque ferro
 flammaque horrendum in modum vasta-
 vit . Præ ceteris primi erant Rustici Sue-
 vi , qui exeunte anno Domini millesimo
 quingentesimo vigesimo quarto contra
 Comitem de Lupfen arma sumpferunt .
Horum exempla mox circumvicini se-
 quebantur rusticī , brevique temporis
 spatio tota propemodum Germania ve-
 lut continenti incendio flagrabat , ad
 quod in tempore extinendum Imperii
 Status conventu Eslingæ habito indu-
 cias , nonnullasque conditiones rusticis ,
 ut illorum petitionibus satisfacerent ,
 proposuerunt , nec absque successu ; quip-
 pe illi aliquamdiu a tumultibus publicis
 cessabant .

§. XXV.

*Anabaptistarum Secta apud Helvetios
 ab Hubmeyero divulgata.*

Spond. ann. **Præterea** Anabaptistarum hæresis in
1525. n. 14. Helvetia quoque altas egit radices ,
 ac tantum in numerum præcipue in Ti-
 gurino pago illius Sectatores excreve-
 rānt ,

rant, ut parum abeſſet, quin hærefinſ Scul. XVI.
 ſuam ſuper prætenſæ fuæ Reformatio- A.C. 1524.
 nis ruinas ædificarent. Hujus novi mo-
 liminis Auſtores ingenio, audacia, ac
 pertinacia longe erant clarissimi, inter
 quos præprimis eminebant Balthazar
 Hubmeyerus, Felix Manzius, Conra-
 dus Crebelius, Georgius Blawork, præ-
 ter nonnullos alios: reliquias tamen om-
 nibus palmam eripuit Hubmeyerus Pa-
 cimonti in Hassia natus Theologiæ Do-
 tor; agebat is aliquamdiu Valduſtæ Sue-
 viæ oppido Præconem, ibique novi Evan-
 gelii dogmata populo annuntiabat, fre-
 quenti epiftolarum uſus commercio cum
 Zwinglio, cui amicitia junctus erat. Hoc
 anno poſt Christum natum millesimo
 quingentesimo vigesimo quarto mutata
 ſententia Fanaticæ Religioni, quam ei-
 dem Müncerus tum Basilea Valduſtam
 delatus ſcite infilaverat, nomen dedit,
 ac brevi perversa hac doctrina imbutus,
 vefanoque Spiritu ebrius, Valduſtæ ve-
 nenum ſuum effudit tanto furore, tam-
 que pervicaci studio, ut ne ipſe quidem
 Müncerus, ac vehementiſſimi quique
 Anabaptistæ majori rabie tumultuari po-
 tuiffent: nam Hubmeyerus tam rapido
 progressu doctrinam ſuam populo inspi-
 rabat, ut exiguo admodum tempore Val-
 duſtanorum incolarum potiſſimi hanc Se-
 tam amplecterentur: unde factum, ut

Ana-

Sacul. XVI Anabaptistæ Catholicis numero superiores, eos expellerent, eorumque bona diriperent; ubi vero rursus Catholici prævalebant, hi vicissim omnes ejiciebant Anabaptistas, qui fuga, prout cuique fors dederat, dilapsi, ubique novos hæresis suæ Sectatores conscribere studebant.

§. XXVI.

Illusoria Hubmeyeri palinodia.

Spond. l. cit. Secefferat Hubmeyerus Tigurum ad quamdam viduam itidem Anabaptistarum erroribus infectam, cui amicitia junctus, illiusque amore captus erat; verum Magistratus rem edoctus, illum comprehendendi, atque ad urbis Prætorium adduci jussit. Aderat ibi Zwinglius cum quibusdam theologis; Hubmeyerus enim adhuc Valdustæ agens postulabat, ut sibi contra Zwinglium ob Baptismum Parvulorum in arenam descendere liceret. Nec disputandi provinciam recusavit Zwinglius, tamque validis Hubmeyerum doctorem obruit argumentis, ut is neque quid ageret, neque quid responderet, promptum haberet, & se errasse fateretur, suamque hæresin revocare promitteret. Ergo palinodiam suam, quam pro libitu suo concinnaverat, in Abbatiae Templo publice prælegit, qua finita Zwinglius sermonem habuit,